

timationis, vitæ suæ. Nonne igitur æquum est, ut et nos contemnamus amore Christi quidquid in mundo patimur, eique pro tot tantisque plagis nostri gratia susceptis, serviamus toto pectore in sanctitate et justitia, omnibus diebus vitæ nostræ. Æquissimum, justissimum.

CONCIO IV.

LUDUS CORONATIONIS CHRISTI QUID DEMONSTRET.

I. Quid sibi vult vestis coccinea? — II. Quid corona spinea? — III. Quid arundo? — IV. Quid sputa, et fictæ adorationes?

THEMA.

Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Joan. XIX.

Philo in Flaccum refert, tempore, quo Herodes Agrippa Roma, in Judæam rediit, rex declaratus, et Alexandriam, ad ejus contemptum lusissimum, et sublimi loco statuerunt, ut spectari posset, moxque capiti ejus diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento corporis stoream induerunt, pro sceptro frustum arundinis humi sublatum quidam ei dedit in manum. Sic ornatum regiis insigniis adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio, alii salutatum accedebant, alii *Marim* lingua Syria, i. e. *Dominum*, acclamabant. Merito existimant card. Baronius alique hoc Agrippæ contigisse iudicio divino in ultionem ludibrii, quo prius Judæi, necnon et patruus ejus Herodes Antipas, Christum illuserunt, similem ergo ludum præluserant jam Judæi cum Christo innocentissimo, et si licet dicere, amore nostri insano. Sed cur? Audiamus.

I. Quid sibi vult vestis coccinea? Primo, ostendit peccatum Adami, qui peccato perpetrato, spoliatus est veste innocentiae et gratiae, et indutus est veste pellicea inque ea illusus a Deo: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est!* Christus itaque transgressionem Adæ in se initurus, exiit vestem suam, aut forsitan alba illa, qua indutus fuit ab Herode: et induitur coccinea, ludicra, inquam, et ficta purpura, atque in ea illuditur a cohorte veluti rex fictus. Atque hæc est vestis illa, innocentis Josephi intincta in sanguine hædi, Adæ nimirum peccato foetentis.

Secundo, ostendit peccata totius mundi gravissima, ipsi injecta et imposita, secundum Originem, Peccata enim coccino comparantur Isa.

I. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Primo, quia coccinum et purpura erat habitus meretricum; unde Apoc. XVII. describitur purpurata meretrix. Et quid peccata nisi infamis habitus amatorum mundi? Secundo, quia sanguinem refert, peccatum autem sanguine expiandum est juxta id apost. ad Hebr. IX. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Tertio, quia ut coccus semel lanam aut vestem imbuens, elui non potest: ita peccatum semel in animam admissum, viribus humanis deleri non potest, per solam gratiam potest. Quare cum nemo mortalium pro peccatis satisfacere posset (sic enim Jer. II. Dominus ait: *Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.* Dei Filius satisfactionem nostram in se suscepit.

Tertio, ostendit peccata nostra, quibus etiamnum oneramus et quantum in nobis est, deformamus Salvatorem nostrum. Quando etiam baptismalem innocentiae vestem exuis, peccato te commaculans, nonne Christum, qui in te habitat, veste coccinea induis? Rursum quando cum peccato lethali, sciens quis, communicat, quid nisi fictam et sordidam animæ suæ immundæ vestem Christo imponit? Denique qui per hypocrisin fingit se bene agere foris, cum intus male agat per intentionem pravam, quid nisi coccineam, pro purpurea veste dat? Quam multi tales politici, qui verbis et externa veneratione Christum colunt, interim mandata ejus spernunt!

Quarto, ostendit nobis viam ad beatitudinem, humilitatem scilicet. Nam purpura piscis, e quo humor purpureus, in imo pelago latet, teste Pierio, lib. XXVIII. hierogl. inde tamen erepta ad ornamenta regum ascendit; sic prius humiliari debet, qui exaltari vult cum Christo.

II. Quid corona spinea? Ostendit primo, peccatum Adami eique inflictam poenam, Gen. III. *Maledicta terra in opere tuo, spinas et tribulos germinabit tibi.* Germinavit quidem Adamo, sed non in ejus capite; at Christo, in ipso ejus sacratissimo capite; quia nimirum Adam, caput omnium hominum peccaverat. Ibi in sudore vultus sui comedit panem suum, quando cruerem e vertice in os defluentem bibit; Adam delectationem in pomo quæsiit et honorem divino parem: invenit autem dolorem et confusionem; quam hic luit Christus. Potuit Adam spinas terræ exscindere, sed non potuit Christus utpote ligatus evellere spinas capitis sui.

Secundo, ostendit peccata totius mundi spinis simillima juxta id Isa. V. *Expectavit ut faceret uvas, fecit autem spinas; ut legunt Septuaginta*

spinæ oriuntur ex neglectu agriculturæ, puniunt et cruciant, ad nihil prosunt, nisi ut ignem alant. Talia sunt peccata quoque. Corona vero spinea et confusionem, ut dixi, adfert et dolorem; quemadmodum et peccatum confusionem ad Rom. VI. *Quem fructum habuistis tunc in illis, (immunditiis et iniquitatibus gentilitiis) in quibus nunc erubescitis?* Dolorem, Ps. XXXI. *Conversum sum in ærumna mea dum configitur spina.* Hic nimirum fructus est peccati. Quare Christus hæc corona vult nobis intercludere viam peccandi, juxta id Ose. II. *Sepiam viam tuam spinis et sepiam eam macerie et semitas suas non invenies.* Evariz, rex Gothorum, templorum aditus spinis obserabat et sepiebat, ut introeundi difficultas et raritas oblivionem religionis induceret, Ravisio auct. Christus non templi sed inferni aditus spinis suis obserat, ut eum intercludat. Si enim ob aliena peccata sensit spinas Christus, quid sentient inferi ob propria?

Tertio, ostendit peccata nostra, quibus velut spinis Christus adhuc pungimus et vexamus; cum nos in divitias, voluptates et sollicitudines hujus mundi immergimus. Illas enim appellat Christus spinas quæ suffocant sementum patrisfamilias. Rursum imponimus Christo spinas, quando ex vinea Ecclesiæ, quam ipse excoluit et sanguine suo rigavit, pro expectatis uvis, damus ei spinas ingratitude nostræ.

Quarto, viam ad cælum, patientiam dolorum, spinis quidem consitam; quæ tamen suo tempore parient rosas; quemadmodum et Christo gloriam resurrectionis immortalem pepererunt. Hac de causa Sancta Catharina Sen. spineam coronam elegit præ aurea, etc.

III. Quid arundo? Ostendit primo, inanitatem arboris vetitæ, ex qua Adam speravit scientiam boni et mali, necnon similitudinem divinitatis: derisus propter hoc ab ipso Deo; cujus vanissimum appetitum luit in arundine Christus a militibus delusus, quasi rex et Dei Filius fictitius atque inanis.

Secundo, ostendit vanitatem creaturarum, quas Deo derelicto amamus et sectamur. Quid enim illæ nisi baculus arundineus, de quo dicitur Isa. XXXVI. *Ecce confidis super baculum arundineum contractum istum, super Ægyptum.* Tertio, ostendit peccata nostra. Nam in primis qui de Christi misericordia, et immensis ejus meritis desperant, nonne baculum arundineum ei præbent? Quid enim aliud sentiunt nisi Christi passioni nihilo plus innitendum esse quam arundini. Quarto, ostendit viam et rationem debellandi dæmonem. Nam ut S. Athanasius, ser. de cruce et passione, ait: *Arundinem*

accepit, cum illi a dæmone porrigeretur. ignaro quod contra seipsum gladium acueret. Dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse atque inde potissimum interfici. Per arundinem intelligere ventrem jejuniæ vacuum, de quo dixit Dominus: *Hoc genu dæmoniorum non ejicitur nisi per orationem et jejunium*, Matth. XVII. Deinde, qui in propositis suis ad vitam emendandam tam instabiles sunt, sicut arundo vento agitata, nonne et ipsi pro sceptro solido et firmo porrigit arundinem? Jer. c. LI. vocat Israel *sceptrum hæreditatis Domini*. Multo magis sic appellandi sunt Christiani. Jam si quis Christo pro regio sceptro det arundinem, h. e. hominem inanem pro solido, foris Christianum, intus atheum: nonne gravissimam ei injuriam facit? Hac porro arundine Christum percutiunt, eique coronam spineam profundius infigunt, qui peccata sua etiam defendunt et gloriantur in rebus pessimis.

IV. Sputa, alapæ et fictæ adorationes ostendunt primo, rebellionem creaturarum, quam sensit Adam post peccatum. Quæ enim prius ad nutum ipsi obediunt, postea eum fugere, persequi, illudere cœperunt, uti et propria caro colaphis eum cedere. Hanc ergo poenam etiam in se sustinere secundus Adam voluit, ut sanaret primum. Insultat Domino et creatori suo petulantissima cohors villissimorum militum, et omnis generis contumeliis eum proscindit ac deturpat, ut homo reatum suum agnosceat, a quanta scilicet gloria, in quantam miseriam per inobedientiam exciderit, rursum Deo subiciat.

Secundo, ostendunt universitatem peccatorum totius mundi, pro quibus Christus satisfacere debuit. Sputa e foetido pectore extracta significant perversas hominum cogitationes, coctas in pectore. Fictæ salutationes: *Ave, rex Judæorum*, significant verba impia, contumelias, blasphemias, execrationes, perjuriam, detractiones etc. Alapæ manibus inflictæ, denotant opera mala, idololatriam aliaque scelera sive a gentilibus sive a Judæis perpetrata.

Tertio, ostendunt etiam peccata Christianorum, quibus etiamnum Christo sæpe illudunt. Ac primo, conspuunt eum, qui in pectore suo fovet ac coquunt cogitationes malas, odia, rancores, impudicitias. Apparuit aliquando S. Lutgardi virgini sanctimoniali B. Virgo mæsto ac lugubri vultu habituque, quæsta quod ejus filius ab hæreticis et pseudochristianis rursum conspueretur ac crucifigeretur, ut in ejus vita refert Lapeolus, 16. junii ex cantipratano. Non soli ergo hæretici, sed etiam Christiani mali conspuunt Christum de novo, quando eum blasphemant, ejus nomen, passionem, vulnera,

sacramenta inhonorant. Fictæ Christum adorant, qui dum labiis orant, sensibus agantur, et animum in patinis et popinis, in pecuniis et prædiis, in cubilibus et impudiciis habent; similiter qui sibi ignosci petunt, ignoscere tamen aliis nolunt. In faciem cædunt, qui publice et impudenter cum aliorum scandalo peccant. Hi enim proximorum conscientias et facies ad Dei imaginem factas cædunt ac pervertunt. Cædunt ejus faciem, qui Dei servos persequuntur; in illis enim facies et similitudo quædam Dei elucet. De talibus quoque dixit Jer. XV. Dominus: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Colaphos ei infligunt avari, qui manum et cor suum constringunt, clauduntque viscera sua pauperibus: alapas vero prodigi, qui quasi manu aperta bona sua dilapidant et in luxum, pompam, voluptates profundunt. Cædunt ejus faciem, qui s. eucharistiam irreverenter tractant; pro qua re exemplum refert Jo. Moschus, in prato spir. c. XXX. de quodam pœnitente Melitensi in Dade Cypri, qui perpetuis se castigabat fletibus, propterea quod aliquando uxori suæ catholicæ ipse Severianus s. communionem e gutture excussisset. Dicebat enim sibi post vesaniam illam astitisse virum quemdam Æthiopem ac dixisse: *Ego et tu simul in unum supplicium condemnati sumus. Ego enim sum, qui conditorem omnium Dominum Jesum Christum in maxilla percussi, passionis tempore.* Hac de causa igitur a fletu se desistere non posse.

Quarto, ostendunt etiam viam cœli, scilicet injuriarum tolerantiam ac contemptum. Quemadmodum enim statua, priusquam in aram collocetur, multis ictibus efformari debet: ita Christianus multis injuriis perfici, ut præclara celoque digna imago fiat.

Quinto, ostendunt typum aliquem pœnarum infernalium. Primo, chlamys coccinea, operimentum igneum, in quo ardebunt inferi. Secundo, corona spinea cogitationes funestas, imaginationes horribiles, vermis rodentis puncturas ac remorsus. Tertio, arundo vacuam et inanem redemptionis aut relaxationis pœnarum spem, adeoque desperationem et pœnarum æternitatem semper ante oculos obversantem, mentemque agitatum. Quarto, sputa, fictæ adorationes et palmæ ludibria, derisiones et sannas, quas patientur a dæmonibus aliisque damnatis. Si enim Christus innocentissimus ob aliena peccata ferre ista debuit, quid expectandum iis, qui ob sua propria abjiciuntur a conspectu Dei?

CONCIO V.

FLORES DECERPENDI E PASSIONE DOMINI.

I. Dei amor, ros echi. — II. Odium peccati, flos Mariæ Magdalene. — III. Spes et fiducia, euphrosynæ. — IV. Imitatio passionis Domini, calcar equitum. — V. Gratitude, trissago. — VI. Quid debemus tanto benefactori.

THEMA.

Jam hiems transit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra. Cant. II.

Quando tristis hiems abiit, et frigidi imbres desinunt amœnumque ver se prodit, tunc apparent flores, nosque exire in hortos solemus ad eos colligendos. Abiit jam hiems passionis Dominicæ, tristis et rigida, imber austerus sanguinis Domini de cruce cessavit. Inde prodire flores, de quibus sponsus, Cant. II. loquitur: *Jam hiems transit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Quenam vero terra ipsius, nisi ea, cui titulus appositus: *Jesus Nazarenus, h. e. floridus?* Nos igitur exeamus hodie, et colligamus aliquot saltem e terra flores.

I. Nobilis flos et notus est *flos echi*, Germanice, *semper charior*. Reperimus istum primo, in horto passionis, in quo discimus amare Deum, si consideremus.

Primo, quis nos redemerit? Deus, non per hominem aut angelum, sed per seipsum. Multum deberemus Deo, si nos per servum redemisset e captivitate: sed hoc alteri non commisit: ipsemet se pro nobis captivum dedit. Magnum omnino fuit amor Jonathæ regis filii in Davidem pastorculum, quando pro ejus salute peroravit apud patrem, seque lanceæ patris prope configendum exposuit. Inde enim David eum dilexit vehementer, et cum sibi valedicentes flerent, David amplius flevit, I. Reg. XX. quia ipse servus erat, Jonathas vero Filius regis, amabilis nimis et decorus, II. Reg. I. At Christus Dei Filius non solum in cruce pro nobis servis suis peroravit ad Patrem, sed etiam passus est et lancea crucis paterna manu confixus occubuit.

Secundo, quem? Servum, ingratum, inimicum. *Vix pro justo quis moritur*, ait apostolus ad Rom. V. *nam pro justo forsitan quis audeat mori.* Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus pro nobis mortuus est. Quid dixisset ad hoc Seneca qui, lib. II. de ira, c. XXVII. ait: *Nimis non suspicimus, si dignos existimamus, propter quos tanta (cœli nimirum) moveantur?* Multum fuit quod Judas pro Benjamine in servitum se

obtulerit, Gen. XLIV. At hoc fratri præstitit. Multum fuit, quod egit filius aurifabri Toleti, sub Petro rege Castolonis, quando pro captivo et occidendo patre vix multis precibus obtinuit, ut ipse plecteretur, Fulg. lib. V. sed hoc fecit filius patri: vitam pro eo dedit, a quo vitam accepit. At quod præstitit nobis Christus, inauditum et majus omnibus est, dum pro servis et reis mortem ipse subiit Dominus et ab omni labe purissimus.

Tertio, e quanto eripuit periculo? E gehenna. Quid non faciunt rei jam plectendi, si per alicujus preces liberentur a supplicio et infami morte? Dicat nobis expertus Theodolus, S. Nili filius (qui historiam scribit apud Sur. 14. jan. de nece 18. monach. in Sina) qui ab Arabibus captus et abductus, sæpius eorum diis ab ipsis immolandus, tandem ante vicum cui nomen Subaita, venalis et nudus, gladio ad collum appenso statuitur, strictisque sensibus circumssistitur, mox plectendus, ni emeretur. Redeunt e pago barbari re infecta, cum nemo plus quam duos aureos dare pro captivo vellet. Ille igitur lacrymis omnium opem invocare, promittens non solum pretium, sed et servitum perpetuam. Ergo miseri juvenis misertus episcopus loci eum tandem emit et liberum dimisit. Quis dicat quam ei gratus et fidelis fuerit! Quantas gratias egerit!

Quarto, quanto labore? Non auri summa, non precibus sed sanguine suo. Quantum igitur amandus! Dicat regina Armeniæ, Tigranis conjux, quæ a viro post dimissionem e captivitate Cyri Persæ interrogata, qui placuisset ei Cyri humanitas? Illa: *Non in Cyrum*, ait, *oculos conieci, sed in illum, qui dixerat se sanguine suo me redempturum.* Rogatus namque a Cyro Tigranes quanti redimere vellet conjugem? *Dabo pro ea vitam libenter*, dixerat, Xenoph. Jam autem Christus pro te de facto se in mortem et tam crudelem dedit. Quomodo ergo potes oculos tuos alio convertere et præter liberatorem tuum, creaturas aliquas amare? Quapropter inspiciamus hunc amoris florem, et redamemus saltem Servatorem nostrum magis ac magis, et dicamus: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum et refugium meum et liberator meus.*

II. Flos alius est, qui *Mariæ Magdalene flos* appellatur, aliter *nardus Celtica*; et designat nobis odium peccati, quale sane concepit pœnitens Magdalena. Hunc etiam reperimus in horto passionis Dominicæ. Nam passio Christi demonstrat quantum malum sit peccatum. Quo de re scribit S. Bernardus, ser. III. de nativitate: *Agnosce, o homo, quam gravis sint vulnera, pro quibus necesse est*

Christum Dominum vulnerari; si non essent hæc a d mortem et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Ergo peccatum tam incurabilis morbus est, ut nisi sanguine Filii Dei curare nequeat; quod vel inde patet, quia alioquin Filium Pater nequaquam immolasset. Audiit forte pater aliquis servum infirmum non nisi sanguine sanari posse. Quid ageret hic pater? Utique non hominem, non bovem, non ovem statim, sed primo, ut offerret medico sanguinem, mactaret gallinam: qui si diceretur non esse sufficiens, mactaret deinde ovem, postea etiam bovem, denique servum potius quam filium. At huic morbo peccati curando non sufficebat sanguis vitulorum et taurorum, neque aliorum hominum: sed omnino necessarius fuit Filii Dei sanguis. Quantus ergo hic morbus fuit? Pertinax infirmitas debet esse lepra, quæ ex consilio Ægyptiorum medicorum sanguine dumtaxat humano nec aliter curatur. Persuasum id Constantino M. lepra tacto, sed ubi is audivit gemitus matrum et necandorum lacrymas infantum, abstinuit, malens lepram ferre quam subditos occidere. At vero Pater celestis clamorem Filii in Oliveto (*Abba, mi Pater transfer calicem hunc a me:*) et in cruce (*Deus meus, Deus meus, etc.*) non exaudivit. Nimirum aut mori peccator æternum, aut Filius ad tempus debuit. Deinde ex eo quod de cœlo advocari debuit medicus, neque is angelus, sed Dei Filius, qui infinitam peccati malitiam infinito pretio deleret. Qualis morbus debuit fuisse Abagari regis Edeseni, quod Jerosolymam usque miserit ad Christum, veluti ad medicum, a quo curaretur, uti notum ex historia! Quantum igitur malum, quamque exosum putatis, erit peccatum Deo? Magnum foret odium principis erga hostem, qui cives suos puniret vel ideo quia cum eo locuti sunt; majus si etiam aulicos et propinquos: maximum, si et filium unicum charissimum, innocentissimum, quod ejus causam egerit. Jam vero ob peccatum primo, Deus expulit aulicos et propinquos suos, angelos e cœlo: deinde, primos homines e paradiso: denique, ipsum Filium cruci addixit, quia peccatorum causam in se suscepit. Quantum oderit Saul Davidem, patet vel ex eo, quod filium Jonatham ejus patronum, lancea petierit, in eo suam ipsius progeniem jamjam extincturus, I. Reg. X. Longe implacabilius debet esse odium Dei adversus peccatum, eo quod proprium Filium, qui in se luendum id suscepit, occiderit; ita ut peccatum in humeris etiam Filii Dei securum et impune esse non potuerit. Quam abominandum diceremus esse factorem alicujus vasis si rex aliquis trucidaret suos ephe-

bos, qui illud præcise attingissent? Quid si filius vas illud solummodo expurgasset ex commiseratione, ne abjiceretur: et propterea a patre morte mulcetur? Hoc contigit Dei Filio, peccata nostra in se tollenti. Quanto odio haberet Samson incircumcisos Philisthæos, vel ex eo colligi potest, quod cum eos cuperet funditus deletos nec alia vel meliori saltem ratione posset, nisi concuteret columnas ædificii, in quo illi epulabantur, adeoque simul cum illis moretur; nihil dubitavit suam vitam impendere, ut ipsi extinguerentur. En tibi depictum odium Dei, adversus peccatum, quod tam grande est, ut ejus delendi gratia columnas crucis amplecti, et una cum peccato commori voluerit. Sæpius ostenderit Samson odium suum in Philisthæos, dum variis cladibus eos affixit, sed nunquam ita ostendit, sicut in morte sua. Similiter etiam Deus plagis variis sæpenumero in peccatores immissis demonstravit suum in peccatum odium, sed in morte maxime, quando, ipsum sanguine et cruce sua delere aggressus est. Quando ergo tam periculosus morbus et bene incurabilis est peccatum, tamquam coram Deo fœdus et abominabilis; quis audeat cum eo consortium deinceps habere vel minimum? Imo quis non execretur tam execrandum malum?

III. Flos alius est, quem appellant *euphrosynem*, Germanice *solatium oculorum*. Designat vero spem, quam ex passione Domini haurimus. Ea primo, desumitur ex c. V. ad Rom. ubi ait apost. *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius*, q. d. si Christus in vita adhuc mortali moriendo nos Patri reconciliavit, multo magis id faciet nunc vivens in gloria. Si mater amat filium, et hæredem facit, dum eum gerit in utero, vel parit tantis doloribus, amabit multo magis jam genitum et sibi similem. Sic Rachel filium pariens cum dolore, appellavit *Benoni*, gentium autem pater appellat *Benjamin*, facitque ex filio doloris, *filium dexteræ*, Gen. XXXV. Qui suum ædificium a fundamentis cum tanto labore et sumptu erexit, multo magis id perficiet, quando nulli amplius sumptus faciendi, aut labor est ferendus. Qui sordentes e cœno extraxit, multo magis retinebit apud se jam ablutos. Qui nigram et deformem puellam adeo amavit, ut sibi desponsaret, multo magis jam dealbatam et pulchram diliget. Qui tanto ære nos emit, jam emptos utique non dimittet. Qui fugientes retraxit et tantis blanditiis ad se pellexit, jam ad se pellectos numquid deseret? Qui per tot maria navigavit, ut margaritam reperiret; multo magis inventam et emptam dili-

get ac servabit, ut pastor ovem amissam, etc.

Secundus, ex c. VIII. ad Rom. ubi apostolus: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum quo modo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Qui filium dat obsidem, non dabit promissum servum aut pecuniam? Qui equum donat, non donabit frænum? Qui tanto pretio emit servum, quomodo eum vestibus destituet et cibo? Deinde quis non bene speret de illo domino suo, qui, ut convalescat servus, parat ei balneum e sanguine filii sui? Filio prodigo, ne diffideret de benevolentia patris, pater occidit vitulum saginatum. At Deus occidit homini servando Filium, ne de sua misericordia et bonitate homo diffideret.

Tertio, ex copiosa redemptione. Cum enim una sanguinis gutta redimere nos potuisset, omnem effudit. Quæ veræ sordes tali tantoque lavaero ablui non possunt, ubi una gutta sufficit? Quando ergo singulæ guttæ possunt salvare infinitos mundos, quid erit tanta effusio sanguinis? Quare sicut flumina in mare se exonerantia, omnia perdunt nomina sua, quia nihil sunt respectu maris, sic peccata etiam gravissima respectu meritorum et sanguinis Christi nihil sunt, ideo evanescent, cum in eum merguntur. Quid igitur erunt peccata parva? Guttæ, ut dicebat B. Ægydius Minorita. Dicite mihi, si qui parentes filium captivum a Turca oblati omnibus bonis suis redimant, numquid is dubitare de parentum amore poterit? Servus ille centurionis dicitur fuisse domino suo pretiosus. Unde hoc colligitur? Ex eo quod ipso sanando herus tot et tanta fecerit: misit primo, Judæos seniores, deinde, amicos; ipsemet denique ad Christum venit, supplicans humilitate maxima. At quanto plura Dei Filius non solum fecit, sed et pertulit pro nobis? Misit patriarchas, prophetas, post ipse venit supplicans Patri prostratus in Oliveto, fixus in cruce, mortem denique optens.

Quarto, illam ipsam copiosam suam redemptionem æstimat parvi: primo, quia Judææ prodicionem appellat tantum calcitrationem: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum*, Joan. XIII. Deinde Luc. ul. interpellatus a duobus discipulis de passione sua præterita, interrogavit: *Quæ?* Quasi nesciret quid secum actum esset, aut quasi valde parum id fecisset. Tertio, nullam omnino memoriam referit discipulis, defectionis suæ, et negationis Petri. Quinimo Petro speciatim nuntiari jubet resurrectionem suam. Quarto, dum patitur, varia inimicis suis beneficia imperit: Malcho aurem restituit, pro crucifixoribus suis orat, clementiæ

suæ specimen in latrone edit, dum vel in vite fine penitentem recipit in consortem paradisi. Mira res! terra et homines eum ejecerunt, quasi indignum, qui in terra inter homines ageret, et cælum atque angeli eum receperunt tamquam dignissimum et nobilissimum concivem. Quinto, sit civitas populea, cujus cives mali sint, alii magis, alii minus, unus autem præ cæteris supplicio dignus. Si dixerit quisquis regem omnibus velle culpas dimittere, non ita verbis fides adhibebitur, atque si videant eum, qui plus omnibus deliquit, venia esse donatum. Talis latro, talis Paulus, qui ait: *Quorum ego primus sum*.

IV. Flos alius a nobis appellatur *calcar equitum*, alias vaccinium. Et quid hic nisi calcar et stimulus ad imitandum Christi patientis exemplum et sequenda ejus vestigia? Nam primo, quis non lubenti animo patiat una cum Deo? Certe bonus latro crucem suam æquiori animo pertulit, quando cogitavit una secum pati innocentem, quanto eum libentius pertulisse putamus postea, ubi agnovit eum etiam esse Deum? Ligno illo quod in amaras aquas injectit Moyses, effraetas delinuit aquas, et dulces effectas, Exod. XV. Lignum id vult Abulensis fuisse amarum et mortiferum, *adelpa* appellatum; miraculo igitur dulcorasse aquas. Talis autem crux. Itaque si tectus durus est, cogita crucem: si cibus desipit, fel et acetum: si vestis deest, nudum Christum: si morbus gravis, vulnera expende; sic fient tibi dulcia, quæ prius erant amara, ex ligno amaro.

Secundo, quis non patiat libens post Deum? Certe Nicodemus ante Christi passionem timuit confessionem, ideo præ metu Judæorum nocte venit ad Jesum. Sed Jesus mox ei opprobrium crucis suæ in figura serpentis ænei insinuat, ut post ducem talem non timeret miles sustinere aliquod probrum. Quod sane cumulate præstitit, quando visa Christi patientia in tantis opprobriis, non jam de nocte, sed in die venit depositurus Christum in sepulchrum.

Tertio, quis non patiat libentissime pro Deo, qui pro nobis passus est? Multi se pro imperatoris salute et fortuna exponunt vitæ discriminibus, et id gloriæ sibi ducunt. Aliqui ethnici pro imperatorum salute et vita se devoverunt, uti non unus pro Caligula. Turcæ reperiuntur, qui pro honore sui imper. graviter se incidunt et vulnerant. Et hoc est in hominis gratiam, nullo aut exiguo suo commodo. Quid non sustineat homo pro tanto imperatore et remuneratore Deo? Denique, quis non patiat minima pro eo, cum eo, et post eum, qui pro nobis passus est maxima? Hinc et S. Elzearius comes injurias

II. PARS HIEMALIS.

suas nihil æstimabat, quando convertit se ad crucifixum, ut scribit uxori suæ.

V. Florem alium Germanice appellant, *noli mei oblivisci*; Latini trissaginem. Et quid hic significat, nisi id, quod Ecclesiast. XXIX. dicitur: *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam?* Fidejussor hic est Christus, qui pro nobis dedit animam suam, et primo, sua ista immolatione clausit imminentem nobis infernum, aperuitque cælum: ex mancipiis morte dignis fratres suos et cohæredes imo filios Dei fecit. Unde Joan. I. dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Meruit nobis ut uno gemitu, una lacryma, uno verbo, *peccavi Domino*, una confessione et contritione possimus delere omnes culpas, (quandoque etiam pœnas debitas) ipsamque gehennam. Quis magistratus dimittit reos liberos ob solas eorum lacrymas, gemitus, sponsones emendationis? Quis dominus debita suis debitoribus? At nos hoc habemus per Christum.

Secundo quomodo? Primo, in propria persona operatus est nostram salutem. Secundo, non pretio pecuniæ, sed sanguine, tormentis et morte nos redemit. Nullo labore constitit eum creatio nostra: at redemptio quam plurimo. Tertio, maxima cum charitate, ut plura adhuc pati, si opus foret paratissimus esset. Denique, ita ut pro singulis, vel uno tantum idem pati vellet, ut colligitur ex epist. ad Galat. II. ubi ait apost. *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*.

Tertio, ex mera bonitate, nulla spe retributionis a nobis expectatæ, nullis etiam præcedentibus nostris meritis. Hoc solum petit, ut hoc beneficium acceptemus, ejusque pretio salutem nobis comparemus.

VI. Quid vero retribuemus Domino pro beneficio isto? D. Thomas, 2. II. quæst. CVII. art. II. tres gradus gratitudinis assignat. Primo, ut quis beneficium agnoscat. Secundo, ut laudes et gratias agat. Tertio, ut compenset pro facultate. Ergo primo, agnoscamus hoc beneficium, sæpe id particulatim meditando; in mentem revocando, magnitudinem expendendo, et nos servos Domini obstrictissimos agnoscendo. Audiamus Christum discipulos alloquentem: *Si quid fecerim vobis? Et quid fecerat tunc illis? Aqua eis pedes laverat. At quid fecit nobis? Lavit nos in sanguine suo?* Ait Joan. Apoc. I. Neque ideo hoc beneficium minus agnoscamus, quod et aliis omnibus sit exhibitum; non enim ideo minus debemus soli, quia et alios illuminat. Ita enim te illuminat, quasi te solum.

Secundo, prædicemus beneficium, de eo libenter audiamus et loquamur; uti fecerunt duo